

Bibliothèque numérique



Aignan, François - candidat /
Foy-Vaillant, Jean-François -
président. - An variolis Diaphoretica ?

1702.

*Paris : Typis viduae Francisci
Muguet, Regis & Facult.
Medicinae Typographi*
Cote : ms 2324 n°137



QUÆSTIO MEDICA,

*QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
mane discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis undecimam
Maii.*

M. JOANNE-FRANCISCO FOY-VAILLANT,
Doctore Medico, sorte ducto, Præside.

An variolis Diaphoretica?

I.

HOMINUM vix quisquam est, qui variolis vel semel non laboret. Magis autem expositi exanthematis sunt infantes, atque pueri, senes rarissime, & non nisi summo periculo ita ægrotant. Hunc morbum non vidisse priores Medicos verisimile est: alias nec genus mali, nec remedium seduli hi viri prætermisissent. Variolæ exanthemata sunt, quæ pustularum specie in summâ cute extuberant, alba quidem, sed in ambitu rubra. Ubi nondum emergerunt foras, febris accenditur cum dolore vehementi in capite & in dorso; oculi intumescunt & illacrymantur totum corpus fit grave, & punctionibus quibusdam afficitur; inter hæc vomitatio aut vomitus incidit: raucessit vox, spiritus difficulter, crebròque trahitur, totus vultus ardore ruboreque quasi efflorescit: multa obrepit somni cupiditas. Ubi vero vitium sese in cute mox proditur est, increscunt omnia: convulsiones superveniunt, maximè in infantibus. Incipiente jam eruptione facies primùm quibusdam quasi pulicum maculis subrubris, deinde brachia, tum reliquum corpus imbuitur, quæ mox subeunte magis humore vel aguntur in altum, vel in latum exporriguntur: illas sublimes variolas, has latas vocamus: Priores ab invicem discriminantur, latæ vero sibi contiguæ sunt, nec raro confunduntur. Emersis prorsus variolis febris conquiescit, quæ tamen recurrit ad maturationis tempus; Plenam maturitatem jam adeptæ febrem penitus finiunt, atque emissio paucō humore in squamulas tandem decidunt. Hæc universa symptomatum series pendet à sanguine, qui heterogeneo afflatus miasmate turbatur; unde æther per molem sanguineam

infusus , hanc violenter incitatus exagitat , donec ad cutim fermentum alienum , tanquam noxiā spumam converterit . Sed depurationem hanc movere & promovere s̄epius non potest æther nativus , cum à fermento irretitus sese expandere non valet . Tum præsto sint Diaphoretica , quæ de fermento per transpirationem detrahant , vires ætheri nativo addant , atque junctis viribus morantem in sanguine humorem vitiatum in cutem detrudant .

II.

IN morbis , quos peperit turbata sanguinis mixtio , quam apta sint Diaphoretica , norunt exercitati . Hæc particularum suarum tenuitate , mobilitate , atque expansione humores spissescentes attenuant , attenuatos ad ultimos cutis tubulos deferunt : quin & sanguini redundunt fluiditatem amissam , circularemque ejus motum accelerant retardatum . Diaphoreticorum medicamentorum non unus ordo ; alia tacitè & blandè humores movent , alia incitant , quædam fortius commovent ; quorum usus non unus esse debet . Humoribus accommodanda sunt , ut proficua sint ; humores namque , qui à naturali fluiditate parum deflexerunt , blanda postulant : spissati valentioribus , valentissimis coagulati opus habent . Verum si tam necessaria observatio non adhibeatur , & quæcunque promiscuè Diaphoretica in quovis morbo offerantur : noxa corpori inuretur gravissima . Varios humorum in morbis status apprimè internoscere sagacis industria , subtilisque judicij res est : his vero contraria opponere præsidia consummatæ prudentiæ . Hâc methodo in variolis ordinata diaphoretica usus erunt securi & secundi .

III.

VARIOLARUM causa fracidum est fermentum ; hujus originem altius indagare , eamque curiosius repetere vel à seminio morboso per parentes traducto , vel à reliquiis menstruorum , pro curâ mali supervacuum est : inquirere verò in ejus vim imprimis necessarium curanti . Mirum aliquandiu delitescere innoxium : Ideo forsitan quod in minimis tubulis nutritiis niduletur extra sanguinis vorticem . At ut primum vel invitante anni tempestate , vernâ potissimum & autumnali , vel contagio , vel pavore , vel denique sponte , mobilius scilicet , per sanguinem penitus diffunditur , & in actum erumpit , ætherique nativo vias , quas decurrere solitus erat , intercludit : tum lucta seu fermentatio commovet , quâ sanguini innatans chylus brevi corruptitur . Tam subitam , tamque insignem immutationem ab hoc ce fermento , s̄epius mole minimo , factam desinet mirari , qui noverit quam facile à levi odore fracidò , seu situ , [le Moisy] ,

3

copiosior humor alteretur: quique viderit magnam aquæ mensuram ab exigua pigmenti moleculâ momento tingi & turbari: atque semel observaverit stillâ liquoris per viperæ morsum infusâ in corpus, statim fluida corporis sus-deque confundi. Conjectura probabilis est à fermento variolarum succum nutritium crassescere; ita tamen, ut fermentum uberius aut parcus: actuosius, aut languidius, modo humorem alibilem inspisset, modo cogat, modo coagulet. Tam varie concrescens humor bene satis & commode discutietur per diaphoretica, non nisi facto discrimine intus sumenda.

I V.

VARIOLARUM fermento sanguinis fluiditatem vitiari, probant symptomata exanthematum eruptionem præcedentia, cephalalgia, dolor lumborum, somnolentia, oculorum tumor & splendor, illachrymatio, faciei rubor, vomitus, corporis gravitas jactatio & sensus punctionis, sanguinis lentescentis & in circuitu retardati effectus sunt. Viscidior enim sanguis, pigrèque transmissus vasa distendit sua, premitque partes; ex compressione sequuntur mox enumerata symptomata, ut & cætera quæ toto morbi spatio affligunt. Sollicitudo itaque medentis in eo præcipua esse debet, ut lentorem sanguinis dissipet Diaphoreticis, quibus & simul ordinarius ejus motus restituatur. Cum cito emergunt variolæ, blandiora Diaphoretica sufficiunt ut, pulveres absorbentes vulgo dicti, cornu cervi philosophicè præparatum, corallium, succinum, lapis cancrorum, margaritæ, confectio hyacinthorum, alkermes, aquæ cordiales temperatæ, quin & aqua cinnamomi hordeata, quibus leviter excitabitur æther nativus, sibi adhuc satis constans: insuper hisce medicamentis diarrhæa præcavebitur, adeo in variolis pertimescenda. Sed si lente emergant & modo prodeant, modo occultentur vel violacei, lividi, atri coloris sint, valentiorapropinare non erit temerarium. Prodest interdum febrem intendere, ut majori motu orto humor revocetur in cutem: circumspecti enim non numquam est hominis febre ipsâ ad remedium uti: Talia sunt salia volatilia, aquæ theriacales, imperiales, spiritus-aromaticus.oleosus, pulvis comitissæ de Kent compositus essentia viperarum, guttæ Anglicanæ, & alia ejus generis, quæ æthere, quô abundant, valent ætherem nativum dejectum, & fatiscentem erigere & exsuscitare. Ad id cæteris potentiora sunt sulphura mineralium, modo virulentò liquamine metallico, subquo latet eorum vis, probè spoliata sint; utero enim suo gerunt ætherem, nostro quô non amicior alter. Reliquo ægritudinis tempore in Diaphoreticis, si opus est, perseverandum erit, cum ea moderatione, ut in majori malo, major vis: in minori, minor adhibeatur.

NUSQUAM est temeraria hæc medicina, quæ innititur magno artis præcepto quò sancitum est, ut humores, quò vergunt, dducantur. Jam vero in variolis humorem ad cutim vergere ipse morbus satis superque declarat. Diaphoretica ergò, quæ hanc motūs determinationem promovent, humoremque fideliter dducunt ad habitum corporis, isti indicationi abundè satisfacent. Est aliud artis decretum, contraria contrariorum esse remedia, huic pariter decreto obtemperatur in variolarum curâ per diaphoretica, quæ humores lentescentes discutunt. Si alia medicinæ auxilia in plerisque morbis summè necessaria, hic omittuntur; minimè ideo in variolis, cum indicantur, omittenda. Sæpius autem variolarum eruptionem phlebotomia semel atque iterum instituta, id commodi affert, ut facilius emergant. Per hanc evacuationem liberiùs it & reddit sanguis, atque proinde fæcem suam in cutim promptè deponit. Quin etiam cædi potest tolerabiliter vena quâ libet morbi die, modo phrenitis, inflammatio gutturis, pulmonis, impendens suffocatio, & cætera ejusmodi torrentia symptomata id genus præsidii necessarium faciant. In his casibus à mittendo sanguine deterrere nos non debet timor, qui multos tenet, ne venenum ad cor recurrat. Neque enim istic à venæ seftione id continget potius, quam in vulneribus animalium venenatorum, in quibus absque tali periculo secatur vena: *novi*, inquit celsus, *medicos qui ab scorpione ictis nihil aliud, quam ex brachio sanguinem miserunt.* Sed ut hoc præsidio rectè succurrit urgentioribus variolarum symptomatis: sic morbus ipse optimè curatur per Diaphoretica, quæ humorem intus coire non patiuntur, spissescientem extenuant, & in habitum corporis refundunt.

Lib. quinto
cap. 27.
art. quinto
edit. Alme-
loven.

Ergò Variolis Diaphoretica.

Domini Doctores disputaturi, sortitò ducti.

<i>M. Raymundus Jacob Finot.</i>	<i>M. Claudius du Fresne.</i>	<i>M. Michaël de Hodencq, Scholarum Professor.</i>
<i>M. Jacobus Simon Gilles de la Riviere.</i>	<i>M. Antonius le Clerc, Pharamacia Chymica Galenica, Professor.</i>	<i>M. Dominicus de Farcy, Facultatis Decanus.</i>
<i>M. Jacobus Minot.</i>	<i>M. Petrus Joannes Burette.</i>	<i>M. Petrus Cresté.</i>

Proponebat Parisiis FRANCISCUS AIGNAN, Aurelius,
Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1702.

Typis viduæ Francisci Muguet, Regis & Facult. Medicinæ Typographi.